



Disputatio juridica inauguralis de judiciis

<https://hdl.handle.net/1874/342456>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
JUDICIIS,

Q U A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-
ris Ordinarii.

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimae
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè & legitime consequendis,

Eruditorum examini subjicit

WILHELM VAN RHEE, Rheno-Trajectinus.
A. D. 14. Julii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clp lcc xc.

GRAVISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO
V I R O,

D. ENGELBERTO van RHEE,
STUDIORUM MEORUM MÆCENATI
BENEVOLO. UNICO.
PATRI LIBERALISSIMO FACILIMO
IDEOQUE
PRIMO ANTE OMNES OFFICIO COLENDO
VENERANDO.

DOCTISSIMO ET REVERENDO
V I R O,

D. HENRICO van RHEE,
SACRORUM MYSTERIORUM INTERPRETI.
INSTAURATÆ RELIGIOIS DEFENSORI.
PATRUO OMNIBUS NOMINIBUS
CARISSIMO.

ERUDITISSIMO ET CLARISSIMO
V I R O,

D. JOHANNI van MUYDEN, Jcto.
IN ILLUSTRISSIMO ATHENÆO TRAJECTINO
ANTECESSORI SPECTATISSIMO
LEGUM HUMANARUM DOCTORI MEO-
NECESSARIO, UTILISSIMO FIDELIS-
SIMO UNICO
PROMOTORI HONORANDO
COGNATO CONJUNCTISSIMO.

HANC MEDITATIONEM
SACRAM FACIT

WILHELM VAN RHEE, AUCT.



P R O O E M I U M.

Homo integerrima vivendi ratione neglecta in viam omni beatitudine destitutam, statim incidit: ac rupta generosissima ut & jucundissima societate, quæ ipsi summa cum gloria atque ornatiissimo cum decore, cum Divina intercedebat Majestate, mox omnis amicitiae fidei, & concordiae, quo cum aequali creatura erat conjunctissimus, vinculum dissolvit. Mutuus antea inter homines animus, & reciproca benevolentia, nunc in internecina jurgia, & tam domestica quam publica dissidia sese convertit. Hinc quamvis lex naturalis, unumquemque rerum suarum constituerat arbitrum atque moderatorem, atque societas civilis, et si quisque suo nutu ductus viveret, constare poterat illæsa, nunc gentium ut & civile jus, hanc legem naturalem ita circumscribere debuit, ut homini nullus rerum suarum liber maneat usus, nulla voluntas arbitraria, nisi potestati civili cui subiectus est, conveniens, privata ratio nunc publicam majestatis nempe supremæ rationem agnoscit. Nunc propria in causa nemo habetur iudex, sed publicum revereri debet tribunal, nam quod huic iustum, illi iniustum videtur. Singulis ergo non est concedendum, quod

quod per Magistratus publice fieri potest , ne majoris inde tumultus oriatur occasio , ut monet Jctus Paulus l. 176. D. de R. J. Hinc qui possessionem judicis absque auctoritate violenter ingreditur , non tantum eam vacuam restituere debet , sed & jus in re quod habet insuper amittit. l. 7. C. unde Vi. Creditor jus crediti , si non postulato judice , debitori extorqueat deperdit. l. 13. D. quod. met. caus. unde si quis se læsum putet , judicio experiat , lædenti injuriam ibi aperiat , innocentia rationem ibi proponat , jus suum doceat , & rem judicatam obtineat ; ita lætus reus summa immunitate & quiete re sua utatur , justitia vivat ; tota quippe juris vis & executio dependet à judiciis , ita judicii vigore , publica tranquillitas legibus armata , arma sua decoret. Quæ Commoda cum ex judiciis sequantur , cumque tam communis sit judiciorum usus , nemo mihi injustum ducat , si in arte boni & æqui quoque tam familiarem , & omnibus legibus accommodatam legerim materiam , qua pro tenuitate mea elaborata , ratio negotiorum meorum tanquam per indicem constet culpā , saltem lata , Vacua.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
JUDICIIS.
CAPUT I.



Tres de qua agendum est, penitus innotescat, prius nomen, ejusque cum aliis commune inspicatur, simulque distinguatur oportet.

Judicium enim pro mentis humanæ potiori parte, nempe intellectu sumitur, cum mutus, surdus, perpetuo furiosus, & impubes, judicio Carere dicuntur, l. 12. §. 2. D. de jud. ut & pro altera animæ facultate, voluntate scilicet, occurrit l. ult. §. 1. D. de inoff. testam. dum voluntas testatoris judicium appellatur. Sic & locus, ubi jus dicitur judicium vocatur per tot. tit. Dig. si quis Caut. in jud. sist. Deinde & pro actione utuntur hoc vocabulo Jcti, cum finium regundorum, familiæ eriscundæ, & communi dividundo actiones, judicia appellant. Porro pro agendi potestate sumit Ulpianus l. 1. D. Naut. Caup. stab. ubi ait in eos judicium dabo. idem iste Jctus & pro jurisdictione accipit, cum l. 2. §. fin. D. de jud. ait, his datur multa dicenda jus, quibus publice judicium est. Denique pro litis contestatione accipit imperator l. un. C. de lit. contest. cum in pr. ait, res in judicium deducta non videtur, quod idem est ac si diceret, non apparet de ea re lis contestata. postremo & pro causæ disceptatione usu maximo venit, quo sensu mihi discutiendum erit. Judicium ergo hoc est legitima causæ disceptatio, ex parte actoris, & controdictione rei, coram judice, litis finiendæ causa

6 DISPUTATIO JURIDICA

instituta. Quæ definitio includit omnia, quæ in judicio geruntur, & ejus occasione per agi possunt, ut ex iis quæ sequuntur constat.

CAPUT II.

Cum ergo judicium dixi esse legitimam causæ disceptationem, inde prosuit prima judicii divisio, quod scilicet sit vel publicum vel privatum, quomodo consummatus orator Cicero pro Cæcina etiam distinguit & simul describit omnia, inquit, *judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum malefactorum causa reperta sunt.* privata ergo judicia appellarunt legum auctores, ubi privatus, proprium suum interesse petit, aut defendit; & publica ubi cuivis ex populo agere conceditur, *tot. tit. dig. de pub. jud.* vel privata ubi causæ civiles, publica ubi criminales discutuntur. Unde & alia divisionis ratio oritur, quod judicium sit vel criminale vel Civile, atque hæc distinctio est necessaria, dum alia via procedit judex in privatis, alia via in publicis judiciis, *hec enim non per actiones ordinata sunt, neque omnino simile quidquam cum privatis judiciis habuerunt, magnæque diversitas eorum fuit, & in instituendo & intendendo, pr. just. de pub. jud.* qualis ordo jam habebatur apud Romanos in publicis judiciis docet. *Car Sigon. lib. 2. & 3. de judiciis, & eleganter Briffon. lib. 2. select. antiq. Rom. Cap. 1.* sed nos circa privata judicia quàm maxime versamur.

Quæ iterum sunt vel ordinaria vel prorogata: illa ubi judex ordinarius sive competens rem cognoscit, prorogata ubi partes consentiunt in judicem, quem alteruter posset declinare incompetentiæ exceptione. *l. 1. C. de jurisd.*

Huic divisioni affinis est divisio judicii in ordinarium & extraordinarium, illud ubi ordinarius judiciorum, seu litigandi ordo observatur; Hoc in quo non observata judiciorum solennitate. simpliciter & de plano causæ cognoscuntur, & deciduntur. Sed hoc

hoc rarius habetur, non nisi *ll. speciatim proditum*. Quæ autem illæ causæ habentur, quæ reddunt iudicium extraordinarium & rejiciunt pleniorē causæ cognitionem, docet solide D. Ant. Matth. pater. *disp. de jud. th. 15. 16. 17. 18. 19.*

Judicium quoque est vel in rem vel in personam vel de possessione rei: quod ea re distinguo, quia si missionem in possessionem peto, iudicium habetur in rem: sed si de possessione ex interdicto ago, in personam instituitur iudicium. Hisce addamus oportet iudicium mixtum, partim in rem partim in personam, quale est finium regundorum, familiæ eriscundæ & simile. Denique iudicium est vel præparatorium vel principale: illud quo via quasi instituitur iudicio sequenti graviore. Ex quo definitio principalis sequatur, necesse est, nempe quod sit illud, quod sequitur præparatorium cum principalis causæ cognitione. Præparatorium iudicium est quo agitur ad exhibendum *l. 3. §. 3. D. ad exhib.* quo agitur de liberis exhibendis *l. 3. §. 1. D. de lib. exhib. vel educ.* quo agitur etiam ex interdicto de tabulis exhibendis *l. 3. §. solent. & §. inde quaritur D. de tab. exhib.* cætera iudicia sunt principalia, & hic principales iudiciorum divisiones puto descriptas; hoc tantum addam, quod tot sint iudicia quot reperiuntur actiones.

C A P U T III.

Cum itaque principales iudiciorum species proposui, restat ut ad potiores seu principales iudiciorum partes seu requisita transeam, & illæ sunt vel personæ, iudicium Constituentes, vel res in iudicium deductæ, vel formæ & modi in iudicio habiti.

Personæ iudicium Constituentes, sunt vel principales vel accessorix, ille actor & reus, & iudex, hæ advocati, procuratores, scribæ, testes, apparitores & similes. Primo loco inter principales personas numero actorem & reum, ad exemplum Imperatoris, §. 1. *inst. de Action.* ubi ait: *omnium autem actionum quibus inter aliquos apud iudices arbitrosve de quacunque re quaritur:*
ubi

ubi dictas partes ligantes judici præponit. Judex enim dici nequit ubi nullæ sunt partes. Partes sunt actor & reus: per actorem hic non intelligo actorem servi, cui peculii, prædii, fundi cura à domino est demandata, uti *l. 8. ff. fam. exciscund.* occurrit. Nec actorem librum, per quem civitatis seu municipii res geritur. Nec actorem qui à tutore vel à Curatore litis causa, decreto prætoris constituitur. ut legitur *§. ult. inst. de curat.* sed actorem qui actionem instituit seu rem petit ab alio, vel factum ab alio præstari desiderat: unde & petitor appellatur *l. 11. ff. de probat.* vocabatur olim & à re reus, *Cicero lib. 3. de oratore.* Ut & nunc non tantum reus debendi & promittendi, sed & stipulandi & credendi dicitur omnibus *in jure tit. de duob. reis.* ut autem justus quis reus vel petitor aut actor sit, requiritur ut legitimam personam standi in judicio habeat. Qua ante omnes destitutus est servus, ita ut ne permittente quidem adversario admittatur *l. 6. C. h. t.* ino ex servitute manumissus ex suo facto ante manumissionem non tenetur *tot. tit. Cod. an serv. ex suo facto post man. ten.* quia semper in negotiis gestis cujusque temporis est spectanda conditio: tempus autem servitutis morti simile est quando servus, nullus habebatur. Præterea quicquid servus contraxerit domini sui commodum spectat. Verum ex delicto in servitute admissio, post manumissionem recte convenitur; nam caput noxa & delictum sequitur, *l. 4. C. dist. tit.* imo gravissimis aliis ex causis, actoris & rei personam agere potest contra dominum; cum tabulas testamenti, quibus libertas ipsi conscripta erat dominus suppresserit, si se suis nummus redemptum probaverit servus, si dominum census & falsæ monetæ criminis reum detegerit servus *l. 53. & 67. ff. h. t.* Deinde filiusfam. in judicio quidem stare potest, modo ex peculio Castrensi, ubi pro patrefam. habetur, lis orta sit *l. 4. D. h. t.* idem est in quasi castrensi, atque in utroque & invito patre agit *l. 4. §. 1. D. de cast. pecul.* in peculio adventio distinguendum est, an pater sit peculii istius usufructuarius nec ne, si habeat usufructum pater agit filio consentiente, nisi minor sit, vel absens filiusfam. *l. ult. §. 3. C. de bon. qua lib.* si pater absit vel furiosus sit, ipse filius judicio experiri potest, modo caveat patrem rem
ratam

ratam habiturum, quod exemplo dotis profectitiæ recte defenditur *l. 22. §. 4. ff. solut. matrim.* si plenum sit adventitium, filiusfam. agere potest, si pater usumfructum repudiavit, si acquirere non potuit, modo patris consensus accedat, quem si de neget, iudex eum compellere potest, & contumacia habebitur pro consensu. *Scip. Gent. de bon. matern. Cap. 26.* quando autem iudicium habetur de profectitio peculio, filius nequit agere, sed pater agit & pro peculii istius ratione tenetur. *l. 3. §. 11. D. de pecul.* Si vero filiusfam. peregre absit studiorum veluti ob causam, nec ibi quisquam sit, qui patris personam agit, & filiusfam. damnum aut injuriam patitur, hoc casu filiusfam. suo nomine, ex causa huius peculii ipse utili actione agere potest *l. 18. ff. 1. ff. b. t.* filiafam. tamen ita respectu profectitiæ dotis, patre absente vel furioso non agit sine cautione de ratihabitione data.

Pupilli & XXV. annis minores, absque tutore vel curatore suo non agunt in iudicio, sed in causa momentaneæ possessionis, ubi nullam dilationem res patitur & actio de vi instituitur, etiam consensus deesse potest, dum servus etiam eo casu recte agit *l. 36. qui legit. pers. standi in jud.* modo sub specie possessionis res ipsa non petatur, uti cautè Imperatores constituere dicta lege. Deinde minores qui veniam ætatis impetraverè *tit. Cod. de his qui ven. ætat.* ut & ceteri qui lege vel natura, veluti infantes, etiam tutore auctore, non prohibentur. Hæc omnia ante dicta, cum actori, tum reo, quippe quorum eadem est ratio, convenire manifestum est, nec quicquam inter eos aliquid, nisi nomen, singulare observandum quare actor qui ad iudicium provocat, ut & reus qui provocatur nominari solet. Si autem in iudicium mixtum incidunt, alteruter potest esse vice versa actor, aut reus, si vero de persona obeunda moveatur inter eos controversia, sorte res finienda venit *l. 13. 14. & 62. ff. b. t.* nisi unus, primus ad iudicium provocaverit, qui tunc actoris partes sustinet. Deinde & hoc singulare in actore occurrit, quod regulariter invitus non agit, quia ut contrahere ita nec agere invitus quisquam devinctus est, *l. un. Cod. ut nem. invit. ag. vec. acc.* iudicium vero auspicatum, adversario non consentiente, actor deferere nequit, vel intermittere, quasi persequi.

cuturus : quia litis contestatione , cum adversario de lite contraxisse videtur , a quo contractu absurdum foret , si pro luitu recederet , nolente adversario , dum causam quamvis injustam , alium lite , mora , sumptibus torquendi & exhaustiendi dare quiscunque posset *Novell. 112. Cap. 3.* præterea dantur casus , quibus & invitus quis actionem instituere debet , veluti propter injuriam , alteri quacunque ratione , illatam , ex lege diffamari *l. 5. C. de ingen. manumiss.* item ex obligationis vinculo , venditor agere debet , contra tertium ut emtori satis fiat *l. 13. §. pen. in med. D. de act. emt.* item ex testamento , monente legatario , hæres actionem contra legati debitorem instituere debet , ut legatarius suum consequatur *l. 75. §. ult. de leg. 1.* deinde tutor & curator pro pupillo & minore agere debent nisi in tutelæ judicium , damnationemque incidere velint ; sic hæres ad prosequendam defuncti necis vindictam , cogitur , nisi velit amittere hæreditatem *l. 1. 6. de his quib. ut indign.*

Denique in reo singulare est , quod unus pro alio conveniri nequeat , non pater pro filio , nisi in supradictis casibus peculii profectitii , hic non repetendis ; vel si pro emancipato fidem suam obstrinxerit , vel in sua potestate constitutum , filium contrahere jussit *l. 1. C. ne fil. pro pat.* quando sibi imputare debet , quod conveniatur pro filio. Sic & pro filio convenitur , si suo consensu Decurio Creatus , in suo Decurionatu se male gesserit , contra obtinet si se invito filius ad dictam dignitatem ascenderit *l. 3. D. 1.* perinde filius pro patre adhuc vivente , non convenitur , etiamsi pater non esset solvendo *l. 13. C. si cert. per.* imperator enim hanc legem sanciens , filios à patre alendos esse conscius fuit , & non attenta quorundam adversariorum opinione , hæc ratio accedit , quod imperator sine limitatione filios , ex patris contractu , conveniri prohibet. Multo minus filius pro patre delinquente convenitur , dum nemo alieni criminis successor constituitur *l. 26. ff. de pen.* nec refert , an pater mortuus sit , modo filius ex patris delicto non sit factus locupletior. Sed in causa Primipilari , etiam si nequidem patri hæres succedat filius , publicæ utilitatis ratione , convenitur pro patre *l. 3. & 4. C. de Primipil. §. ult.* postremo nec maritus

maritus pro uxore couenitur, nisi maritus ipsi mercaturam permiserit, vel pro eo fidei iusserit, nec uxor pro marito tenetur, ex Vellejani Senatusconsulti beneficio, imo nec ipsa dos, pro mariti debito ulla ratione obligata est (sed fructus dotis stante matrimonio in pignus capi possent) quia dos non ad maritum, sed uxorem pertinet, ad eamque soluto matrimonio, redeunda est, nisi sit in dicta caussa Primipilari. *d. l. 3. C. de primip.*

C A P U T I V.

PROposita iusta litigantium conditione, reliquum est, ut eorum iudicem, iudicisque requisita, eorumque opposita, quo magis innotescat, progrediar. Iudex ergo est vir bonus & æquus, publica auctoritate constitutus, ad res cognoscendas, & iudicandas, iudicatasque exequendas. Quando enim dico *virum bonum & æquum*, intelligo talem qui nec natura, nec lege prohibetur, veluti mutus, surdus, perpetuo furiosus, impubes *l. 12. §. 2. D. h. t.* non mutus admittitur, quia iudex interdum inter loqui debet: non surdus, quia causam audire nequit: non furiosus nec impubes, quia rem mentis inopia, neque clare neque distincte percipiunt, ergo de ea iudicare non possunt. Non debet esse legis vel consuetudinis imperitus. *Nov. 82. in pr.* ut enim iudices rem recte cognoscant, deque ea iudicent, leges legumque animam, rationem sc. perspectam habeant, oportet, unde *Baldus ad l. 2. C. de sent. exper. recit. iudicem duplici sale instructum esse vult, scientiæ, ne sit inspidus, & conscientiæ, ne sit diabolicus.* Non tamen in quovis iudice, consummata juris peritia requiritur, sed ea saltem, quæ ad causam, de qua actio est, decidendam sufficiat. Hinc quando artes, vel opera, vel mercaturæ cognoscendæ sunt, usus illarum artium, cognitio eorum operum, peritia mercaturarum sufficit, juxta vulgatum dicendi modum, quod artificii in sua arte sit habenda fides, nec ulterior legum scientia opus est. Hinc recte magistratus civitatum in Repub. nostra, quibusvis ex civium ordinibus, iudices constituuntur, partim legum doctores,

res, partim artium usu periti, partim illi qui opera publica & privata meditari solent. Minor viginti quinque annis disputant interpretes an iustus possit esse iudex? Ego eum legitimum arbitror, modo à summa potestate sit constitutus, major etiam octodecim annorum, & partes in eum consentiant, unde Iustus Paulus eum non exclusit *l. 12. §. 2. ff. h. t. de cæco* alia quaestio est, ego puto supervenientem Cæcitatem, non interrompere ipsius munus, sed antequam iudex est ex æquitate eum non admittendum, quando enim litterarum comparatio, finium regundorum iudicium habetur, aliave negotia geruntur, ubi oculorum usus requiritur, recte subsistet. Et ea ratione Clarus, Vinnius, Clarissimus Voet, Lugduni in Batavis Antecessor spectatissimus *l. 6. D. de jud.* explicant. Legibus porro ob verecundiam sexus fæminæ prohibentur esse iudices, ob statum, servi, ob turpitudinis notam, infames, quale enim ipsis æqui bonique viri arbitrium confidendum erit, quibus omnis fides sit interclusa: Cæteri admittuntur, modo ut dixi in definitione iudicis, sint publica auctoritate constituti. publica autem auctoritas constituendi, mutata publica re Romane, nunc penes hos, nunc penes illos fuit. Justinianus voluit quod darent omnes qui iurisdictionem haberent, sive propriam sive mandatam iurisdictionem haberent, ut proconsul, & Legatus ejus, Præses provinciarum, & similes, quia iurdictio etiam est iudicis dandi licentia *l. 3. ff. de jur. dict.* hi magistratus dabant ut res vel cognoscerent tantum, vel inspicerent, & iudicatum exequerentur; hinc duplex iudicis apparet potestas, prima quæ nuda tantum notione, sive causæ cognitione, discussione, constabat sine minima quidem iudicati executione, quæ potestas erat penes iudicem pedaneum & hic datus, delegatus dicebatur nullam iurisdictionem habere *l. 5. D. de R. J.*

Et altera potestas est, quæ non tantum causæ cognitione, sed & imperio iudicati exequendi constat, quæ est pars mixti imperii, quod adhæret iurisdictioni perpetuo, *tot. tit. de jur. dict.* hic jam iudicum potestatem amplius describerem, si circa iurisdictionem, non vero iudicia essem occupatus.

Officium iudicis consistit, injudicando secundum legum præcepta,

cepta, acta & probata, ut & conscientiam legibus, & probationum veritate imbutam *l. 14 C. de jud.* si jam conscientia & probata pugnant, deponat iudex officium, & testis fiat. Distinctio officii in Nobile & Mercenarium forum magis quam scholarum usum concernit.

C A P U T V.

EXhibitis personis in judiciis potioribus, accessorias non addam, propter angustias quibus circumscribi solet disputatio, videamus materiam, idest res in iudicium deductas & modum eorum seu formam; Res deductæ redire solent ad quatuor Capita, quæ habentur in *l. 5. D. de extraord. cognit.* aut enim 1. agitur de honoribus & muneribus. 2. Aut de re pecuniaria. 3. Aut de existimatione alicujus. 4. Aut de capitali crimine. Quæ accuratius dicuntur causæ civiles & criminales. In Iudicium autem veniunt res certæ & præsentis, non quæ post litem contestatam modo de bebuntur *l. 35. ff. h. t.* hæ novâ instantiâ opus habent *l. 23. ff. h. t.* forma iudicii consistit in legitimo processu, is vero alius jure veteri, alius jure novo, alius est jure novissimo, nos modo de istis dicemus formulis, quæ regulariter fere in iudiciis observari solent, quia diversimode proceditur, aliter in hac, aliter in illa provincia. Quantum ergo ad formulas substantiales iudiciorum pertinet, hic fere modus hodie observatur, fit libelli oblatio reo ad iudicium vocato, ut deliberet an sibi expediat in iudicio contendere an cedere 2. Citatio, seu in jus vocatio quæ fere hodie nihil differunt, huic si non pareatur incidit processus contumaciæ contra citatum, *Id. tot. tit. si quis in jus vocat. non ierit. & l. 7. & seq. D. quomodo & quand. jud. sent. §. ult. de pen. temer. litig. l. 1. ff. de edend.* 3. Inter substantiales formulas recte numeratur litis contestatio: neque enim iudicium esse potest nisi intendat actor, & à reo proponatur exceptio, ex utroque litis contestatio constat, *l. un. C. de lit. Contest. l. 14. autem.*

§. 1. *C. h. t.* 4. Juramentum judicis & litigatorum ad substantiam judicii pertinere videntur, si vero sint omissa vitiant processum *l. 14. pr. C. h. t. in ead. l. 14. §. patroni. A. Matib. disp. 10. th. 23. de jud.* 5. Cognitio causæ, quæque huic conjuncta sunt recte referuntur ad judicii formam substantialem, veluti probatio, defensio, refutatio, ejusque rei gratia justa dilatio; causæ cognitio ergo constat in discutiendo rem in judicio deductam, & examinando petitionem an vera an falsa sit, in qua illa superiora concurrunt, *l. 4. & 76. de sent. & inter locut. l. 9. C. h. t. l. 2. §. & ult. C. cum epist. program.*

Denique ad formam substantialem judicii pertinet, ut judex. Causa cognita, & à partibus probationibus, ulterioribus renunciatis ferat sententiam *l. 7. & 12. C. de sent. & inter locut. Novell. 115. c. 2.* eum enim in finem judex aditur, ut litem sua pronuntiatione decidat; finis ergo judicii recte sententia dicitur *l. 1. ff. de re jud. l. 9. C. de sent. & inter locut.* nisi remedium aliquod suspensivum intercedat, 1. Remedium nullitatis *tot. tit. ff. quæ sent. sine appell. resond. tit. Cod. quando provoc. non est necell.* 2. Appellationis, *l. un. D. nihil nov. appell. interpos. l. 3. 12. 13. de appell.* 3. Supplicationis *l. un. C. de sent. pref.* 4. Restitutionis in integrum. Ultimum illud quod provocatione condemnatio extinguitur. *l. 1. §. ulte ff. ad S. C. Turpull. l. 6. §. 2. de his qui notan. infam.*

CAPUT VI.

EXplicatis judiciis, judiciorumque partibus, ultimo loco restat, ut proponam judiciorum silentium, sive quando judicia publica cessant, cum enim in principio hujus disputationis dixi *singulis non esse concedendum, quod per magistratum publice fieri possit l. 176. D. de R. J.* Summo jure sequitur, quod absente vel non existente magistratu vel judice, privatus quilibet sibi ipsi jus dicere queat, veluti cum vim illatam, incontinenti quis vi repellat, modo fiat moderamine inculpatæ tutelæ *l. 3. D. de just. & jur.*

& *jur.* ita enim furem nocturnum, si parcere ei sine periculo ut loquitur Ulpianus *l. 9. D. de fcar.* non possim. Vel ut lex Mo-
saica exponit, cum in ædium perfossione, deprehenderim, im-
pune quis occidere potest: & ratio manifesta est, quia non con-
stat an furno nocturnus, ædes perfodiens vitam, an vero bona di-
ripere conatur; deinde quod minus angustum est tempus, ad
querelam de injuria, coram iudice instituendam. Et melius est in
tempore occurrere, quam post vulneratam causam remedium
quærere. Deinde creditor, vi pacti inter se & debitorem initi,
propria auctoritate, pignoris possessionem ingredi potest, quam-
vis honestius, id prætoris auctore fiat, *l. 3. C. de pign.* porro
& debitorem fugientem propria auctoritate possum apprehendere,
vel de fuga suspectum retinere, quia iterum iudicem adeundi,
sæpe tempus deest: metuendum enim erat, ne iudicem cum ex-
pectarem, debitore aufugiente, & meum in æternum consequi
non possem *l. 10. §. 16. D. que in fraud. credit. & Cujac. 16.*
observ. 91. Postrema pater adulterum cum filia in sua potestate
constituta, impune, propria auctoritate, potest interficere. *l.*
20. 21. 22. D. ad l. Jul. de adul. modo inturpitudine filia depre-
hensa sit, ex lege Solonis & Draconis. Sic & maritus uxoris
sue adulterum occidere potest. *l. 24. D. d. t.*



A N N E X A.

I.

Quarta Divi Pii est omnium bonorum.

I I.

*Dolus dans causam contractui bonae fidei,
reddit eum ipso jure nullum.*

I I I.

Mandatarius praestat culpam levissimam.

I V.

Cautio usufructuaria à testatore remitti nequit.

V.

*Qui credidit ad refectionem navis, non
habet tacitam hypothecam.*

V I.

*Pater filio exheredato, tutores dare, &
pupillariter substituere potest.*

F I N I S.